



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

129. Christus paralytico sanando dimittit priùs peccata.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

Paralytici.

MEDITATIO CXXIX.

*Christus paralytico sanando dimittit
prius peccata.*

I. **I**esus iterum intravit Capharnaum (ci-
vitatem suam, *Matth. 9. v. 1.*) post dies,
& auditum est, quòd in domo esset: & con-
venerunt multi, ita ut non caperet neque
ad januam, & loquebatur eis verbum. *Marc.*
2. v. 1. & 2. Factum est in una dierum, &
ipse sedebat docens. Et erant Pharisei se-
dentes, & Legis doctores, qui venerant ex
omni castello Galilææ, & Iudææ, & Ierusa-
lem: & virtus Domini erat ad sanandum
eos. *Luc. 5. v. 17.*

II. Et ecce offerebant ei paralyticum
jacentem in lecto, *Matth. 9. v. 2.* qui à qua-
tuor portabatur: *Marc. 2. v. 3.* & quærebant
eum inferre, & ponere ante eum. Et non
invenientes, quâ parte illum inferrent præ
turba, *Luc. 5. v. 18. & 19.* cum non possent
offerre eum illi præ turba, *Marc. 2. v. 4.*
ascenderunt supra tectum: *Luc. 5. v. 19.* nu-
daverunt tectum, ubi erat: & patefacientes
submiserunt grabatum, in quo paralyticus
jace-

jacebat. *Marc. 2. v. 4.* Per regulas submiserunt eum cum lecto in medium, ante IESUM. *Luc. 5. v. 19.*

III. Cùm autem vidisset Iesus fidem illorum, ait paralytico: *Marc. 2. v. 5.* Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. *Matth. 9. v. 2. Marc. 2. v. 5. Luc. 5. v. 20.* Et ceperunt cogitare Scribæ, & Pharisei, dicentes (intra se: Hic blasphematur. *Matth. 9. v. 3.*) Quis est hic, qui loquitur blasphemias? *Luc. 5. v. 21.* Erant illic quidam de Scribis sedentes, & cogitantes in cordibus suis: Quid hic sic loquitur? Blasphematur. *Marc. 2. v. 6. & 7.* Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? *Marc. 2. v. 7. Luc. 5. v. 21.*

MEDITATIO CXXX.

Christus, dimissis paralytico peccatis, eundem sanitati restituit.

I. UT cognovit Iesus (spiritu suo, *Marc. 2. v. 8.*) cogitationes eorum, respondens, dixit ad illos: *Luc. 5. v. 22.* Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est facilius, dicere paralytico: Dimittuntur tibi peccata tua; an dicere: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula? *Matth. 9. v. 4. 5. Marc. 2. v. 9. Luc. 5. v. 23.*